

ADDITAMENTA

NORMAE SPECIALES IN SUPREMO TRIBUNALI SIGNATURA RAE APOSTOLICAE AD EXPERIMENTUM SERVANDAE

(Const. «Regimini Ecclesiae universae» - a. 1968)

1. DE CONSTITUTIONE ET MUNERIBUS SUPREMI TRIBUNALIS

Art. 1

1. Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae constat duodecim S.R.E. Cardinalibus, a Summo Pontifice nominatis, quorum unus, ab Eodem delectus, Praefecti munere fungitur, auxilium ferentibus Secretario, Promotore Iustitiae, Defensore Vinculi et Subsecretario.
2. Signatura Apostolica constat duabus Sectionibus.
3. Cardinales iudices causas cognoscunt per collegia quinque Membrorum, nisi Praefectus decreverit aliquam quaestionem deferendam esse Plenae Signaturae omnium Cardinalium qui Membra sunt Signaturae Apostolicae.
4. Iudices, quemadmodum Secretarius, Promotor Iustitiae, Defensor Vinculi et Subsecretarius abstinere debent a causa pertractanda in casibus de quibus in can. 1448 (ex 1613).

omissis

Art. 3

Consultorum locum tenent Votantes et Referendarii, qui nominantur a Summo Pontifice, proponente Cardinali Praefecto.

omissis

Art. 8

Cardinalis Praefectus universo Tribunalni preeest; cum Secretario, Promotore Iustitiae, Defensore Vinculi, quoties interesse debeat, Subsecretario et Cancellariae Praeposito, libellos examinat eosque admittit vel reicit; decernit qua ratione sit quaestio definienda; si casus ferat collegium iudicans constituit, designato Cardinali Ponente seu Relatore; deputat Referendarium ad relationem conficiendam; Votantem ad votum promendum pro rei veritate; itemque seligit votantem ad extendendam decisionem; subsignat rescripta gratiae vel decreta definitiva extra tramitem stricte iudicialem lata, aliasve provisiones quae eidem reservantur.

omissis

Art. 12

1. Votantes munus obtinent Consultorum, qui designati in singulis casibus a Cardinali Praefecto, votum promunt pro rei veritate, exhibendum Patribus Cardinalibus; oralem discussionem petere valent, eique assistunt; iubente Cardinali Praefecto, unus ex iis decisionis motiva extendit eamque subscribit.

2. Omnes Votantes a munere cessant septuagesimo quinto aetatis anno.

Art. 13

Referendarii munus obtinent referendi in facto et in iure circa petitiones pro impetrandis commissionibus aliisque rescriptis. Praevia deputatione Praefecti, iidem relationem conficiunt, potere possunt oralem disputationem eique adsistere, suffragium habent consultivum in quaestionum discussione; a munere cessant septuagesimo quinto aetatis anno.

omissis